

# COMMUNICATIONES

RAYMUNDUS TELLERÍA

## CONGREGATIO MISSIONARIA S. PETRI A CAESARANO S. ALFONSO COAEVA

Intra regnum neapolitanum, quod S. Alfonsus declaravit missionibus fertile (*amico di missioni*) (1), floruerunt olim associationes missionariae, quarum aliae suas res gestas mandarunt annalibus ecclesiasticis, aliae autem in oblivionem fere totalem abierunt, a qua vix salvantur per externos contactus cum S. Alfonso ac cum eiusdem Instituto. Hoc postremum sane contigit Congregationi « B.M.V. Imperatricis Caeli Terraeque » a Rev.do D. Ioanne comite Appiani institutae et a nobis pridem illustratae (2): neu multum dissimilem exitum novit Congregatio SS. Sacramenti, pari modo a nobis in medium recenter educta (3) et ulterius dilucidanda pro maiore illius historiae momento. In idipsum denique convergit hodierna brevis tractatio de Congregatione missionaria S. Petri a Caesarano, quae ex multiplici ratione nectitur S. Alfonso et proinde scopo praefixo lucubrationibus nostri *Spicilegii*. Nexus equidem directus atque indirectus: prior, quia aliter carent explicatione verba quaedam et facta S. Alfonsi; alter, quia ex novo inseritur haec Congregatio historiae refrixae similium Sodalitatum, quae passim citantur ad defigendum Instituti alfonsiani externum cardinem missionarium: hunc autem, etiam a contrariis, roborat historia Congregationis S. Petri a Caesarano.

### I. - Congregationis cunabula montana.

Inter Instituti alfonsiani nascentis notas peculiare distinguebatur conscientia propensio, immo severa legis taxatio, cuius effectu praecones salutis evangelicae iubebantur extra oppida morari (*fuori de' paesi*), in solitudine grandescere, oratione studioque enutrir, poenitentiae exercitiis addici, zelo domus Dei consumpti prosilire in aciem ad animas a peccatis redimendas et in Christi amore redintegrandas.

Quod vero eiusmodi propensio seu « tendentia » non erat S. Alfonsi unica, sed aliis quoque sodalitiis missionariis communis evincitur ex historia Congregationis S. Petri a Caesarano. Cognomen ipsum « La Solitudine », quo sedes olim compellabatur, manet praegnans huius significationis ac colligatur cum aliis appellationibus haud ignotis inter missionarios coaetaneos, v.gr. *Ritiro*, *Eremo*, quibus utitur S. Paulus a Croce et ipsemet S. Al-

(1) *Lettere di S.A.*, II, 590: « Il paese dove possiamo fare più acquisto d'anime non sarà Roma, ma il regno di Napoli, così abbondante di persone ed amico di missioni ».

(2) Cfr *Spic. hist.* 5 (1957) 304-311.

(3) *Spic. hist.* 10 (1962) 193-198.

fonsus (quoad primam appellationem) pro ilicetana fundatione S. Mariae a Consolatione.

Ex alia parte locus, ubi instauratum fuit centrum, dignus erat qui insigniretur « *La Solitudine* ». Viator namque hodiernus, qui e Neapoli viâ publica petit civitatem Avellini, consistit in oppido Mugnano del Cardinale, hactenus ubique gentium honorando propter basilicam S. Philomenae. Hinc deviat ille gressus versus pagum vicinum, cui nomen Quadrella: unde, oculos ad proximiores colles convertens, prospicit in unius clivoso latere aedificium ad instar vasti monasterii atque ecclesiam eidem contiguam. Demum pedibus in altum conscendit, dum auras carpit montanas ac naturae circumstantis oblectamentis inebriatur. Ascensionis terminus vocatur S. Petrus a Caesarano.

Huius appellationis « a Caesarano » originem exquirere tentarunt nonnulli historici, quorum opiniones recensere existimamus inutile, propterea quod non excedunt probabilitatem adserentium praexistisse in clivo quamdam arcem seu « villam », caesareis armis speciosam, cui labentibus annis suffectum fuit sacellum sub invocatione Principis Apostolorum: unde sub eodem titulo S. Petri a Caesarano orta est atque floruit Congregatio missionaria, in spiritualibus obnoxia Episcopo Nolano; in temporalibus autem cum territorio Mugnani del Cardinale (4) et Quadrellae subiecta Sanctae Domui SS. Annuntiationis urbis neapolitanae.

Congregationis primordia, utique modesta, adscribuntur zelanti missionario D. Michaëli Trabucco, pie vita functo circa annum 1656, quo per universum regnum saeviit pestilentia mortifera (5). Hinc post Fundatoris obitum elanguit plus minusve Congregatio, donec sub finem eiusdem saeculi comparuit eique praefectus est verus Instituti solidator alterque Parens, scilicet Rev. d. D. Lucas di Gennaro, ex Mugnano an. 1664 ortus et Congregationi an. 1682 aggregatus (6). Is quadraginta annorum spatio praepositus domui, funditus renovavit monasterium, aucta quoque ampla Novitiatu sede: « Aedificium hoc a fundamentis excitatum / Soli Deo solitudinis amatori Solitarii / Dicarunt A.D. MDCC ». Ita rem posteris lapis adfixus perennavit. Sine mora alacriter ille prosequutus est labores, donec novae ecclesiae fabricam penitus absolvit, teste hodieque epigraphae marmoris incisa: « Templum hoc / Ap. lis Petro et Paulo tutelaribus suis / studiosa Apostolicarum Expeditionum Congregatio / diruto a fundamentis veteri / magnificentius erexit, splendidius exornavit. / Franciscus Maria Carafa Nola Antistes / Solii Pontificii Assistens et Prael. Domest. / octava eorumdem Ap. lorum festivitate / Anno Domini MDCCXXVII / solemnî ritu consecravît ».

Consecratio porro peracta est iis mensibus, quibus S. Alfonsus recenter militiae sacerdotali adscriptus, inchoabat plenioram suam vitam missiona-

(4) Geographus coaetaneus Ioseph M. Alfano scribit: « Mugnano e Cardinale: terre; diocesi di Nola, feudo della S. Casa d'A.G.P. [*Ave Gratia Plena seu SS.ma Annunziata*] d'aria buona, fanno di popolazione 3741 » (*Istorica descrizione del Regno di Napoli*, Napoli 1795, 20). Eodem fere tempore censet Ioseph M. Galante: « Mognano: 3766. - Quadrella: 1369 ». (*Della descrizione delle Sicilie*, IV, Napoli 1790, 154).

(5) Biographiam D. Michaëlis Trabucco edidit P. Carolus d'Ippolito, sed nondum reperimus ullum eiusdem exemplar typis datum.

(6) *Della Vita del P.D. Luca di Gennaro*, scritta da un Prete della medesima Congregazione; Napoli, Di Simone, 1751.

riam: huic pariter, a curis extruendae ecclesiae expediti, intensius vacarunt Congregationis caesaranae alumni, exemplum aemulati P. is di Gennaro, qui usque ad mortem (1741) sese mancipavit ministeriis apostolicis naviter obeundis. « Alter a Fundatore » nuncupatus fuit in elogio funebri (7), et quidem iure ac merito, utpote qui pusillum Congregationis gregem enutrivit medulla ascetica et missionaria intra Sodalitii orbem iuridicum quodammodo singularem.

Singularitas ex eo fluit quod, secus ac in Instituto alfonsiano authenticâ disciplinâ canonicâ plasmato, a Congregatione S. Petri caesarana procul aberat quodvis ligamen professionis et votorum, ideoque eius sodales dices simpliciter victores potius quam stricte religiosos, nisi quod in vita communi gerenda conformabantur spiritui paupertatis et obedientiae; quin etiam subiciebantur quibusdam Fundatoris statutis, quorum observantia adeo arcte cunctos devinciebat, ut transgressores incurrerent culpam soli Episcopo reservatam (8).

Congregationis methodus missionaria, quatenus ex biographia P. is di Gennaro deprehenditur, parum aut nihil differt ab ea, quae decursu annorum facta erat communis plerisque missionariis neapolitanis: illius proinde notitia atque aestimatio haud erit spernenda ei, qui ponderare velit S. Alfonsi innovationes apostolicas. Programma namque missionarium apud Congregationem S. Petri a Caesarano constabat elementis traditionalibus: catechismo scilicet parvulorum atque adultorum, instructionibus ad populum, magnis concionibus de aeternis veritatibus, publicis hortationibus (*sentimenti*) per vias et plateas, recitatione SS. Rosarii, exercitio disciplinae, et sic porro.

(7) Hoc titulo effertur ille in praefata biographia. (p. 188):

D.O.M.  
Et memoriae  
Lucae a Januario  
Munianensi  
Ex Collegio Divi Petri a Caesarano  
Quod is alter a Fundatore  
Templum hoc paene collapsum  
Instauravit ac dedicandum curavit  
Clastrum in Solitudine quam elegantiss. potuit.  
Inter praerupta rupium  
Hortis arbustinis vineis pomariisque  
Ad oblectamentum usumque adjunctis  
Substruxerit amplificaverit sepserit  
Quod ibidem annum VIII supra I, transigens  
Iam tum adolentem coagmentaverit  
Societatem  
.....  
Ejusdem Societatis moestissimi Sacerdotes  
Post annos quos vixit LXXXI menses X dies XX  
Humato  
Honorariam ponunt epigraphen  
Dum  
Parenti undique de omnibus merentissimo  
Justa persolvunt.

(8) Iuxta biographum P. is di Gennaro, ecce Fundatoris placita: « E sebbene volesse [D. Mich. Trabucco] nella sua Congregazione una santa libertà da' voti privati e semplici, non facendosi in essa nè voto, nè offerta, alcuni pochi statuti però vi volle, contro i quali operandosi, non solamente in colpa s'incorresse, ma in grave censura al solo Vescovo riservata...: basta dire che tutti vanno a collimare all'obbedienza ed alla povertà » (p. 95).

Certo certius tum domi, tum foras fovebant pro viris ecclesiasticis exercitia spiritualia, quorum necessitas atque efficacia haud effugerunt P. Aniello Cirillo, Congregationis eximio scriptori, qui opportune disseruit super « Ecclesiastico erudito » (9).

Ipsemet P. Aniellus Cirillo, quia litteraria Congregationis operositas videtur exigua aut saltem parum cognita, porrigit nobis opus suum *Fascetto Spirituale*, ut in illo quasi in speculo contueamur physionomiam asceticam atque apostolicam huius Congregationis, paululum nobis praecognitam ex clariorum missionariorum biographia (10). Summa porro ascetismi simplicis ac popularis ab opere *Fascetto Spirituale* (11), divulgata in id tendit, ut Christi fideles depascantur cibo sano ac traditionali. Idcirco, haud aliter ac S. Alfonsus, etsi minus densa fervoris unctione, proponuntur devotionis specimina universis christianis pervia: hinc exercitium meditationis quotidianae, praesertim de Christi doloribus, quod minutatim practiceque evolvitur: illinc « fascis » virtutum quae mensualiter seligantur ac vitiorum quae respuantur, praesignata cuilibet mensi propria virtute, patrono ac vitio: hac considerationes de novissimis, protestatio de bona morte et examen conscientiae: illac participatio in sacrificio missae, visitatio SS. Sacramenti, frequens accessus ad sacramenta Poenitentiae atque Eucharistiae, invocatio B.M.V. ac in Eius honorem recitatio SS. Rosarii. Cuncta denique vestiuntur stylo plano et populari, praeter quam quod saepe illuminantur dictis, factis consiliisque sacramentum virginum, fortasse quia auctori observabantur illius « Philotheae » (p. 191).

2. - S. Alfonsi studium et benevolentia  
erga Congregationem S. Petri a Caesariano.

S. Alfonsus, quo ferebatur mentis ac cordis studio ad commendandas missionariorum cohortes per totum regnum dispersas, noscivit quoque hunc manipulum apostolicum eiusque castra S. Petri a Caesariano. An vero unquam accesserit ille ad eremum « *La Solitudine* » definire nequimus; sed quia ex familiae suae Liguoro-Mastrillo vinculis atque ex non paucis apostolatus sui occasionibus adductus fuit, ut civitatem dioecesisque Nolae frequentaret, eo ipso cominus discere valuit qui et quot missionarii degerent apud S. Petrum a Caesariano et quibus gauderent facultatibus specialibus in ministeriis apostolicis explendis. Hac de causa, cum P. Andreas Villani sese Romae an. 1749 extricabat, ut a S. Sede obtineret canonicam approbationem Instituti alfonsiani necnon facultates ampliores S. Poenitentiariae ad missiones fructuosius gerendas, S. Fundator delegato suo institit ne reputaret

(9) Huius operis atque auctoris mentionem invenimus in quodam elencho Capellani Maioris: « Il Cappellano Maggiore ha rimesso le approvazioni delle seguenti opere... *L'Ecclesiastico Erudito* del P.D. Aniello Cirillo della Congregazione di S. Pietro a Cesarano ». Arch. di Stato, Napoli. Affari Ecclesiastici, Espedienti di Consiglio, v. 356, settembre 1768. - Inde cum fundamento eruitur quod P. Cirillo vixit atque scripsit in secunda parte saeculi XVIII.

(10) Ad biographiae P. is di Gennaro calcem (p. 208 ss.) ob res gestas laudantur PP. Carolus d'Ippolito (biographus Fundatoris), Philippus Adurante, Iosephus Pecchia, Franciscus Guerrieri et Antonius Canonico, necnon quidam Fratres laici eiusdem Congregationis.

(11) AGNELLO CIRILLO, Rettore della Congregazione di S. Pietro a Cesarano, *Fascetto spirituale di varii fiori d'amor divino per condurre praticamente l'anima alla vera divozione e per farle frequentare con profitto i Sacramenti della Confessione e Comunione*; Napoli, Cervone, 1886. - Ut supra (nota 9) innuimus, auctor vixit saeculo praecedenti: unde opus aut est postumum aut prelo recusum.

arduum consequi id, quod inferioribus meritis freti eremitae S. Petri assequuti erant: « Circa le facultà della Penitenziaria...: che l'hanno avute tante Congregazioni, la Congregazione dei preti dell'Arcivescovado (12), la Congregazione di S. Pietro a Cesarano, che son pochi e non approvati: questa cosa, dico, così facile ch'io la tenea per certa, questa non si è potuta avere » (13).

Prope ergo S. Alfonsus dignoverat statum canonicum Congregationis S. Petri a Caesarano; iudicium autem suum de parvo eiusdem incremento confirmatur hodie documentis coaevis, quibus pariter inclarescit ratio externa huius exiguae diffusionis, nempe adversa Gubernii neapolitani voluntas contra quaslibet novas Congregationes. Equidem post duos tresve annos voluit Episcopus Nolanus transmittere virgultum S. Petri in agros Ottajani vel Mariglianellae; ast ab inceptis coactus est recedere atque suam agendi rationem iustificare coram Cappellano Maiore die 19 februarii an. 1753:

Ill.mo e Rev.mo Signore

Sento che ritrovi V.S. Ill.ma qualche intoppo nella relazione che deve fare a S.M., Dio guardi, nel fatto dell'Ospizio de' Preti Missionarj della Cong.ne di S. Pietro a Cesarano da me in parte costruito nel Piani o siano Masserie di Ottajano... Della necessità di tal pia opera supplicai a V.S. Ill.ma ... Ed una prova ben forte che vi ho impiegato da circa 2.000 docati. Giurare io posso con verità di non aver mai saputo l'ordine Reale di non fabbricarsi nuove chiese, se prima non s'impetrasse il Regio Assenso... [*Subiungit fabricatum fuisse dumtaxat parvum sacellum*] (14). Passando alla meditata fondazione di Mariglianella non già seguita: què non si tratta di erezione di nuova chiesa, ma di collocare senza più alcuni preti Missionarj di S. Pietro a Cesarano in una chiesa antica con abitazione contigua, che un tempo fù convento de' domenicani della Sanità di Napoli. I Padri di S. Pietro a Cesarano non sono in tutto attualmente che dieci sacerdoti con tre chierici ed alcuni Fratelli. Questi io vo cercando di distribuire in varj siti tra se distanti della diocesi (15).

Documentum in se minoris mnae, sed valde eloquens si reponatur iuxta historiae alfonsianae marginem, quam perlustrandam suscepit ab initio *Spicilegium Historicum*. Equidem memores angustiarum, quas iisdem annis passus est S. Alfonsus ut Congregationem suam a Gubernii vexationibus liberaret, facile deprehendimus scopulos tentamini Praesulis nolani oppositos. Ad haec, ex his regiae auctoritatis praeclusionibus magis elucet triumphus, quem anno praecedenti (1752) S. Alfonsus reportarat, cum ministri regii ratum

(12) Agitur de Congregatione Missionum Apostolicarum, Episcopo neapolitano tunc temporis adnexa. Cfr *Spic. hist.* 8 (1960) 393 ss.

(13) *Lettere di S.A.*, I, 161.

(14) Alludit ad secretam prammaticam, die 23 iulii an. 1740 a secretario negotiorum ecclesiasticorum communicatam praesidibus provinciarum, ut deinceps vetarent novarum ecclesiarum aedificationem et congregationum institutionem absque praevia regis licentia. Cfr. R. TELLERÍA, *S. Alfonso*, I, Madrid 1950, 291.

(15) *Bibl. Soc. Nap. Stor. Patria*, Cod. XXXI. A. 5: Corrispondenza di Mgr. Galiani, f. 1-2. - *Subscribit epistolam « F. Vescovo di Nola », id est, Franciscus Carafa theatinus, cuius benevolentia erga P. em di Gennaro extollitur iure in huius biographia (p. 90).*

habuerunt modum vivendi, cuius gratia et sub legis praesidio, etsi conditionibus precariis obnoxiae, quattuor domus tunc stabiles (Ciorani, Pagani, Illiceto, Caposele) Congregationis alfonsianae publice agnoscebantur ac missionum opus in tuto collocabatur.

E contra missionarii S. Petri a Caesarano, praepediti quominus in alios locos deferrent tentoria, ab his ex « Solitudine » prodire perrexerunt ad evangelizandum pauperibus maximo zelo et copiosis fructibus: adeo ut post aliud decennium digni fuerint, qui a S. Alfonso Praesule Sanctagathensi vocarentur ad suam dioecesim in Christo refirmendam, teste biographo P. e Tannoia: « Così invitò in varie occasioni i PP. Missionarj della rispettabile Congregazione di S. Pietro a Cesarano, uomini zelanti e a niuno i secondi in quest'impiego » (16). Quae sane historici coevi verba iustificant intentionem nostram duplicem: nempe vindicandi ex oblivione hanc Congregationem de missionibus neapolitanis bene emeritam et suscitandi inter laureandos nolanos vestigatorem quemdam, cui insit cordi retexere annales Sodalitatis usque ad huius extinctionem.

Etenim pari rythmo ac diebus S. Alfonsi perseveravit Congregatio S. Petri a Caesarano in sua operositate apostolica sub finem saeculi XVIII ac decurrente prima parte saec. XIX. Ecce quaedam indicia quibus suadetur nostrum iudicium. Prostat hodieque in ecclesia, ad Evangelii latus, sepulcrum P. is Antoni Vetrani († 1813), cui tanquam poetae ac ornato cultura omnigena texit lapis funereus sertum magnificum. Unde colligimus eremum florescere haud desiisse. Argumentum maioris ponderis nobis praebet, elapsis tribus lustris, sacra visitatio quam in S. Petro a Caesarano instituit Ill. mus et Rev. mus D. Ianuarius Pasca, Antistes nolanus, cuius accessus ad monasterium reliquit post se hanc adnotationem Libri Actorum: « S. Pietro a Cesarano. La sullodata E. S. R. ma col solito suo accompagnamento nel giorno 25 [settembre 1829] dal comune di Quadrella si è recata a visitare la chiesa de' PP. di S. Pietro a Cesarano, ove giunta è stata ricevuta con tutta la ritualità possibile: quindi suffragate le anime de' defunti, ed adempito a quanto la rubrica prescrive ha chiamato i RR. PP. all'ubbidienza nel modo seguente. [Transcribit Communitatis elenchum: 7 Patres, praeunte Rectore Adm. R. P. Raphaële Navarra: 1 diaconus, 2 clerici, 1 novitius: 4 alii, praecedente signo D.: 3 alii, praecedente Fr.] Atque concludit: « Noi Gennaro Pasca, Vescovo di Nola..., decretiamo: Pel monistero de' RR. PP. di S. Pietro a Cesarano. Art° 1. Avendo visitato gli arredi, vasi sacri, argento, suppellettili ed altri si è trovato il tutto lodevole. S. Pietro in S. Visita, 25 settembre 1829 » (17).

Elapsis viginti annis, anno scilicet 1849, Praesul nolanus iterum visitavit oppida Mugnani et Quadrellae, sed Acta silent super S. Petro a Caesarano. Nihilominus credimus missionarios inde non recessisse, donec in secunda saeculi XIX parte latae sunt pro regno neapolitano leges iniquae, quae mortem cunctis monasteriis intulerunt.

(16) [A. TANNONIA], *Della Vita ed Istituto del Ven. Servo di Dio Alfonso M. Liguori*, lib. III, c. 18; Napoli 1800, 87.

(17) Arch. Curia, Nola. Sacra Visita, v. 21 (1829-1840), v. 22 (1841-1849). Desiderantur in hac sectione Archivi volumina, quae respiciunt saeculum XVIII et quae fortasse reperientur post novam Archivi dispositionem, cui nunc incumbit diligens archivista.

3. - *Corollarium*

*de praesenti rerum statu apud S. Petrum a Caesarano.*

Locus pius post annos miseros diuturnae incuriae atque squalloris nunc resurgit paulatim et undequaque pro accolis halat aetatis iunioris auras. Intra monasterium etenim, adhuc solidum et amplum, viget atque in dies floret publica Institutio, cui nomen: « Gimnasio Alessandro Manzoni ». Afflante ergo eximio hoc artis litterariae magistro, conditae sunt Scholae publicae tam pro adolescentibus convictoribus, quam pro aliis plurimis, qui ad aulas frequentes accedunt ex locis circumvicinis, quin professores alumno-sve deterreant non leves itineris incommoditates.

Ex opposito ecclesia, sacristia et his contigua habitacula egent sollerti restauratione, ut denuo cultui divino deserviant. In his perstant haud pauca vestigia Congregationis exstinctae: prae primis, supra altare maius nitet linteum depictum in quo SS. Apostoli Petrus et Paulus, coram tribus divinis Personis provoluti, fiunt symbolum atque exemplar missionariorum. Horum stemma gentilitium manet sculptum in antependio altaris: stat crux, hinc taeda flammans, illinc tuba canens: cum versu: « Praedicate Evangelium »: atque circum stemmatis orbem: « C. Miss. S. Petri a Caesarano ».

Sit denique in honore Congregatio S. Petri a Caesarano, quae in beata « Solitudine » per duo et amplius saecula laudes Deo persolvit atque exinde in campum missionarium descendit ut indefesse atque strenue Christo animas lucraretur. Illius nomen, etiamsi hucusque pio silentio contextum, sat bene meretur parvulum angulum historiae ecclesiasticae meridionalis, cui exarandae lucernulam suam apponit nostrum *Spicilegium*, dum pro viribus nititur agnoscere intimius ac verius proponere S. Alfonsi opus huiusque cardinem historicum.